

DIALOGUS XXI.

De aliis Apollinis Imaginibus, & Elo-
giis.

PUBLIUS.

I.
TAB. IV.
N. XV.

Aliter jam prodit *Apollo* tuo in Numo decimo quinto. Sedet enim hic nudus, capite laureato, super Cortinam, ut reor, de qua, deque Tripode, utrisque vaticidicis, deque Oraculo Delphico, multa mihi jam exposuisti in Exercitat. Procem. Dial. V. n. 3. & 4. to. Dextra extenta sagittam præfert, læva, quam ad sedem demittit, Arcum sustinet: hinc & inde columnatim descendētib; lineis legitur: ANTIΟΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΣ: i. e. *Antiochi Regis*. TULL. Dexterime omnia. Pinxit hunc Numum Celeberrim. *Montfalconius* ex *Begero*, fuitque hic *Antiochus* unus e numero Seleucidarum Syriæ Regum. Horum Annales, post Cl. *Vaillantium*, longe ampliores, cum gratulatione Orbis eruditi, edidit Cl. P. *Erasm. Fræliobius* e Soc. J. Vindobonæ. Ibidem Regum istorum Numi, omnis metalli, & magnitudinis, maximo numero, & ordine Chronologico exhibentur: quorum complures *Apollinem* sistunt, aut stantem, aut sedentem, vel Cortina duntaxat, sive Tripode, subinde & Lyra, in ejus locum suppositis. Inter omnes tamen hunc præsentem non reperi, ubi tu Anchoram, quæ ante genua *Apollinis* est, solitum Seleucidarum Regum insigne, cum superposito monogrammate, A. nempe inter Π. recensere prætermisisti.

II. Cl. *Patinus* Numum *Caligula* æris mediæ vulgavit, in quo *Apollo* nudus adstat, plectroque ludit, cum lemmate: ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΑΣΙΩΝ: i. e. *Didymus Milesiorum*, nempe *Apollo Geminus*, de quo

quo antea. Rursum *Trajani Numum*, ubi *Apollo* cum *cythara* sua
Cyigno infidet, in cœlum vestus, adscripto nomine: ΚΑΑΧΑ-
 ΔΟΝΙΟΝ: i. e. *Calcedoniorum*. In rem scribebat *Martian. Capella*: „
 „ Scandente *Phoebo*, *Musarum* pedissequis, adhærensque comi-
 „ tatus, *candenti*, *canoraque alite* vehebatur. *Cygnos* currum *Apol-*
 „ *linis*, cui sacrae sunt aves, vehere finxerunt *Poëtae*, fortassis ob
 „ harmoniam, quam paulo ante obitum edunt. „ In *Caracal-*
 „ *la Numis* apud *Patinum Apollinis* typum agit *Leo* gradens capite
 radiante, faucibus fulmen deferens. Cui parem *Diocletiani Nu-*
 mum protulit *Eruditissimus D. Liebe*. Sed longe curiosior apud eun-
 dem est *Numus æreus magnus* cum capite *Macrini* radiato. *Aversa*
 quippe *Apollinem* exhibet barbatum, ac velatum, imposito capiti
 modio, vel calatho: *lava Sertum laureum* præfert: post tergum,
 quo pallium rejectum est, pharetram gestat sagittis oppletam.
 Insistit porro *Leoni*, ad modum tauri cornuto. Signabat hunc
Numum Tarfus, quæ *Severianam*, & *Macrinianam* se appellavit.

PUBL. Si *Apollinis* imago hic sit, eximie hoc Numo *Dni.*
Pluche sententia confirmatur. *TULL.* Vidit hoc jam suo tem-
 pore *Macrobius*, quamvis ad posteriorum duntaxat *Aegyptiorum*
 idola, non ad primorum innocentia rerum agendarum signa res-
 pexerit. Fatebatur enim, *Apollinem* cum *Osiri*, & *Sole*, eundem
 fuisse: id, quod alii pariter senserint. „ *Hieropolitani* (ait)
 „ qui sunt *Gentis Assyriorum*, omnes effectus *Solis*, atque virtute-
 „ tes, ad *Simulacri barbatum* speciem referunt, eminente super ca-
 „ put calatho. „ *Leonis*, taurique rationem ita reddit. „ *Ae-*
 „ *gyptii* *Signum Leonis* domicilium *Solis* appellant, quia id ani-
 „ mal videtur ex natura *Solis* ducere substantiam, primumque im-
 „ petu, & calore præstat animalibus, uti *Sol* præstat *Sideribus*.
 „ - - - *Validus* porro *Leo* priori corporis parte, degenerat po-
 „ sterioribus membris. *Aequè* autem *Solis* vis prima parte diei
 „ ad meridiem, vel *Anni* prima parte a *Vere* in *Æstatem* incre-
 „ scit: mox elanguescens, deducitur ad occasum, aut hyemem,
 „ anni partem posteriorem. - - - *Bove*, qui cornibus *Lu-*
 „ nam refert, *Solis* in hanc imperium, aut vis terram fœcundan-
 „ di designatur. „ *Perse* quoque *Solem* colebant in idolo & ima-
 „ gine *Viri*, capite *leonino* effecti, qui *taurum* repugnantem corni-
 bus edomaret, cuique *Mithrae* nomen imposuere.

Ibid. p.
148.De Nup-
tius Phi-
lol-L. I.

Pag. 235.

Goth.
Num. p.
346.Ibid. p.
283.

III.

Saturnal.
L. I. c.
17.

Ibid. c. 21.

IV. *PUBL.* Qui sequuntur Numi, decimus sextus, & septimus, atque octavus, apud me sunt ærei parvi. Primus *Gordiani Pii*, in Aversa sicut *Apollinem*, capite radios evibrante stantem, quietiam dextra extenta flammam spargit, læva orbem gestat: ad pedes pharetra, & arcus, cum telo imposito cubant. Epigraphe: AETERNITATI AUGUSTI. Alter *Constantini Magni* est: in quo *Apollo*, capite micans, ut ante, dextra telum, & arcum læva gestans, pede sinistro prostratum hostem conculcat, altero clypeum ejus proterit. Circum lego: TUTATORI AUGUSTI. Tertius *Constantini junioris*, exhibet *Apollinem* in Corona radiante, brevique pallio adstantem, qui dextra ignem spargit, læva Solem fulgentem defert. Adscribitur: SOLI INVICTO COMITI AUG. *usti.*

V. Præterea in alio ex meis *Aureliani* Numo, ubi *Apollo* radians, orbemque gestans, hostes geminos prostratos calcatur, lego: ORIENS AUG. Duo *Gallieni* Numuli in Aversa *Pegasus* alatum reddibent, cum epigraphe, in uno: APOLLINI: in altero: SOLI CONSERVATORI AUG. *usti.* *TULL.* Apud *Cl. Patinum* in ære parvo *Cari* Numo, ubi *Apollo*, capite radians, quasi *Solis* auriga, flagellum gestat, adscribitur: AETERNITAS IMPERII. In ære parvo *Constantini M.* stanti *Apollini*, orbem tenenti, additur: CLARITAS REIPUBLICAE: quod elogium etiam in *Filiorum Numis* repetitur. *PUBL.* Grandem in hoc Deo fiduciam *Romani* posuere. *TULL.* Nempe, quia in hoc uno Deos quasi omnes adorabant.

VI. *Cl.* tamen *Harduinus* & hic reperit, quo singularis evaderet. Dum namque in primo Numo tuo, vel aliis, legit: AETERNITAS AUGUSTI: ait: Romanos Principi suo hac epigraphe non optasse Æternitatem personæ suæ, vitæ aut imperii: nec ita desipuissè, ut ignorarent hæc vota in hominem, qui mori deberet, non cadere. Idcirco Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia edidisse. Æternitatis autem præconio gratulatos esse durationem *Domus Cæsareæ*: quam ipse volebat per cognatum *Augusti* sanguinem, ex conjugibus, aut Matribus, aut Avibus, in omnes Imperatores derivatum, adhuc in postremis Imperatoribus perstitisse. In quo unus ipse contra omnes est. Et sane, quod advertit *Ill. Spanhemius*, Numus *Cari*, quem ante dixi, cum epigra-

graphie: AETERNITAS IMPERII, alique Numi frequentes, in quibus legitur: MEMORIAE AETERNAE: admodum decent, non Domus unicæ *Caesareæ*, & *Augusteæ*, quæ aliunde cum *Nerone* brevi extincta fuit, Perpetuitatem, sed omnium temporum durationem, ut eam longam fata finerent, voto Aeternitatis comprehensam fuisse. Quo maxime facit singularis ille *Titi* Numus, cum Templo splendido, & inscriptione: AETERNITATI FLAVIORUM. Quæ *Elavia* Gens, e qua *Vespasianus*, *Titus*, ac *Domitianus* erant, longe alia fuit a Gente *Caesarum Augustæ*, & nihilominus hic Aeterna esse optatur.

Iterum *Cl. Harduinus* laudat Numulum æreum *Gazæ Regiæ Galerii Valerii Maximini Caesaris*, cum ejus Protome sit habitu Imperatoris expressa, capite nimirum laureato, cum clypeo, & hasta. In Aversa comparet Sol in quadrigis, dextra elata, orbem lava gestans. Superfribitur: SOLI INVICTAE N. Legit ipse: SOLEM I. mperator INVICT. us Æ. mulatur. Literam N. omittit, quamvis in ejus imagine pictam: qua vero admitta legere poterat: SOL. is I. mperator INVICT. us AE mulatur N. umen, aut N. omen, aut N. aturam, aut N. itorem. Putem vero potius, peccasse hic Monetarium: vel nubes, quadrigæ circumfusas, ut sunt in tuo *Probi* Numo integerrimo, ingessisse Viro *Cl. tenuibus* lineis extremis, literarum speciem, quod & mihi prope acciderat: cum interim nil aliud scriptum esset, nisi: SOLI INVICTO: aut, sicut in alio tuo *Probi* Numo, ubi *Apollo* quadrigas in dextram agit: SOLI INVICTO AUG. usi.

Alibi hic idem Vir magnus, cujus pace singula dicta velim, quoties eidem adstipulari non videor, duos adhuc perelegantes Numos expressit, quos reticere coram te nolo. Prior in Aversa caput habet laureatum, cum epigraphæ: ΑΥ. Κ. ΟΠΕΑΙ. ΚΑΡΕΙΝΟΙΣ ΓΕ. i. e. *Imp. Caes. Opelius Carinus Aug.* In Aversa Sol capite radiato, cum flagello quadrigas antrorsum agit: supra: ΑΑΙΩΝ ΔΝ. Legit hoc Vir perspicax: ΑΑ. α Βαρδεις ΙΩΝ. Ιας Δ. ια Ν. ιαυρ C. Βασις i. e. *Alabandenses Jonia ob Victoriā Augusti*: nempe per *Carum Patrem*, & *Carinum*, de *Parthis*, *Persisque* relatam, haud procul *Jonia*, & *Alabandis*. Alter Numus aris maximi exhibet capita jugata *Philipporum*, *Patris*, ac *Filii*, & ex adverso eorum tertium adhuc Caput *Concordiæ*, nisi forte sit *Otacilla* Conjugis.

VII,
In Plin.
T. VI.
n. 4. ad
Tom. I.
col. 388

VIII.
In Plin.
Tab. IV.
ad Tomi
I. p. 277.
& 279.

Epigraphe : **CONCORDIA AUGUSTORUM.** In Averfa Templum rotundum, sub quo, ut putatur, est Clarii, i. e. Apollinis imago : tholo Aquila infidet. Adscribitur : Ex **ORACULO APOLLINIS.** Vate hic opus esset : istam vero tripodem tentare Cl. *Harduinus* omisit.

IX.

TAB. IV.
N. XIX.
& XX.

PUBL. Qui supersunt in hac Tabula Numi, decimus novus, & vicesimus, rursus ad me attinent, suntque *Probi* Augusti, & æris parvi, argento tincti. Primus habet Apollinem nudum in curru stantem, a Gryphibus tracto, qui arcum tensum quasi exonerat. Epigraphe : **APOLLINI ULTORI.** In postremo ipse, capite radiante, quadrigam antrosum flectit, dextra elata flammam spargens, arcum læva continens. Adscribitur : **ORIENS AUGUSTI.** Nihil mihi hic admodum novi est. *Apollinem* quippe, dum telum fert, & maxime dum illud exonerat, iratum intelligi, supra dixerat. De Gryphibus, qui eidem sacri fuere, an veri, an ficti sint, in Exercitat. *Proëm. Dial. XVIII. n. 5. & 6.* mecum differuisti. **TULL.** *Probus* Imperator *Apollinem Utorem* invocandi, lacerato adhuc per Tirannos, perque barbaros vehementer infestato Imperio, certe plus nimium causæ habuerat, cui eundem ut maxime confisum, vel Numi ejus probant, nullum præ *Apolline* Deum frequentius exhibentes.

X.

TAB. V.
N. I.

PUBL. Tabulæ tuæ V. Numus primus hodierni argumenti nostri adhuc esse videtur : in quo tamen imagines cum epigraphe combinare haud novi. Pingitur quadriga, equis præjunctis, cum essedo rotundo, cui lapis, aut rupes acuta, imponitur : hastis quatuor circum erectis quid rei superpositum, nescio. Per oram lego : **SANCT. o. DEO SOLI :** infra : **ELAGABALO.** Facile auguror, hunc Numum ad *Elagabalum* Imp. pertinere, **TULL.** Ita sane : excepit eum ex *Begero* *Celeberr. Monticoconius*, & *Herodiani*, de Deo *Sole Elagabalo* ita differentis, verbis illustrat : „
„ Simulacrum nullum, græco, aut Romano more, factum ad
„ ejus Dei similitudinem : sed *Lapis* est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad conî figuram.
„ Niger Lapidis color : quem etiam jactant e cælo decidisse. Eminent in eo quædam, formæque nonnullæ visuntur : ac *Solis*
„ imaginem illam esse affirmant, minimeque humano artificio fabricatam. „

Tom. I.
P I Tab.
LXIV.
n. 4.

Syriis hic Deus, atque Phœniciis cultus : quorum origine fuit *Elagabalus*, puerque apud eos hoc Sacerdotio Solis insignis : unde & Nomen gessit, alioquin *Varius* dictus. Artificio Fœminarum Imperator effectus, hunc Deum suum non solum Romam transvexit, & eidem in Suburbano Templum excitavit maximum : verum etiam, quemadmodum *Lampridius*, & *Xiphilinus* testantur, ac detestantur, omnium aliorum Deorum, immo & Judeorum, ac Christianorum sacra, illuc transferre proposuit, *id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Alagabalus coleretur*. Hic itaque Numus in ejus pompæ memoriam cufus, qua Deus iste suburbanum in Templum suum devehctus est, Vehiculo (quod iterum *Herodianus* ait) auro, pretiosisque lapidibus exornato, trahentibus equis sexagibus, emaculato candore, ac magnitudine præcellentibus, auroque phaleratis, nemine currum inscendente, sed omnibus quasi aurigantem Deum circumstantibus. Hastæ erectæ videntur *Montjoconio* gestare cymbala, atque tympana, quibus, dum Sacra hujus Dei agerentur, Phœnissæ mulieres circum aras, personare debuerant.

PUBL. Nunquam ingenio meo lucidissimum hunc Deum assecutus fuisssem, a quo omnes in hoc Numo radii absunt. Mirum, quomodo in lapide hunc Mundi Oculum agnoverint : nisi e carbuncolorum genere fuerit, in quo omnia lux essent. **TULL.** Fatuis plebibus quæcunque suffecerat prodigii fama, hoc Saxum cælo delapsum esse, nulloque humano artificio fabricatum. Interim cuncti prope Populi Solem supra cætera omnia, quæ forent in Mundo, suspexerunt, sensum secuti, cum ratio caligaret, ad ejus Conditorem inquirendum. Testis esse possit *Aureliani* Numus, quem pinxit *Cl. Harduinus*. Refert is in *Adversa caput juvene nudum*, absque ullis radiis, cum epigraphe : SOL DOMINUS IMPERII ROMANI. In *Aversa* stat figura paludata, cum sceptro, ad aram patera libans. Circum : AURELIANUS AUG. CONS. Quod *Vir Cl. legit*, CONS. *ervator*, scil. Imperii : ego legissem : CONS. *ervatori*, nempe Soli, *Aurelianum*, qui ei propterea Sacra facit, conservanti.

Alias, quando Poëtis obaudiendum, Solis Caput radiis duodecim comatum pingebatur, canente *Martiano Capella* :

XI.

XII.

In *Plin.*
Tab. I n.
I. ad To.
I. p. 71.

XIII.

Se-

DeNupt.
Philolog.
L. II.

Solem te Latium vocitat, quod *solus* honore
Post Patrem sis *Lucis* apex, *radiis*que sacratum
Bissenis perhibent Caput aurea Lumina ferre,
Quod totidem *Menses*, totidem quod conficis
horas.

Tom. I. p. 260. Observatum hunc radiorum numerum ait Cl. *Harduinus* in *Vespa-*
stiani Numo, a se picto Tab. III. *Pliniana* n. 22. Cujus Adversa
caput habet radiatum, estque, juxta ipsum, *Solis* Orientis, ac
denotat, *Vespasianum*, habitu Imperatoris in Aversa stantem, in
Oriente imperasse.

XIV. Porro *Heliaca* in mensa, i. e. *Solari*, nam Græcis ἠλιᾶς est
Sol, marmorea nempe Tabula vetustissima, Romæ exstante, quam
illustravit *Hieronymus Aleander* Forlivienfis anteriori sæculo, cir-
cum *Solis*, radios duodenos emittentis caput, simul aggregantur
Apollinis Arcus, & pharetra, *Bacchi* poculum cum hedera, clava
Herculis, pellisque leonina, caduceus *Mercurii*, & alia. Ex quo
fere confirmatur *Macrobii* sensus, multum contendentis, *Deos om-*
nes ad Solem referri. PUBL. In hoc eundem D. *Pluche*, sed mul-
to majori, & longe propius ad rationem accedente verisimilitu-
dine, consequitur.

XV. TULL. Priusquam te hodie dimittam, adhuc Numum æ-
In Plin. ris magni commemorare tibi debeo ex Cl. *Harduino*, qui non ni-
Tab. V. si singulares Numos aut profert, aut facere studet. Græcus is,
n. 8, ad habet in Adversa Caput fœmineum turritum, cum epigraphe:
Tomi I. ΚΑΛΥΔΙΟΥ ΠΥΡΡΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In Aversa stat *Apollo*, vel *Sol*,
p. 285. nudus, capite radiante, qui adstanti Tropheo Sertum laureum
imponit. Adscribitur: ΔΙΔΡΑΧΜΩΝ. Quem ad Numum ille
ait: Quosdam credidisse, vocem *Hyperion*, quo elogio *Solem* tam
Pindarus, quam *Homerus* afficiunt, etiam hic esse Nomen *Solis*
Rhodii, qui est in Aversa: caput eum fœmineum suspexisse pro
Agrippina Claudii. In utroque autem falsos fuisse. Caput enim
turritum, inquit, citra dubium redhibet Genium Urbis. Dei
vero Nomen in parte, imagini ejus opposita, & inter Nomina
qui-

quidem Imperatoris intercalatum existere, nulla ratione videri. Quare simplicissime, verissimeque legendum putat: ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΤΗΡ. ΑΣΩΙΣ' ΙΩΝ. ΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ: i. e. *Claudii Propugnatoris Jonum Augusti Numus duarum Drachmarum*: Moneta scilicet *Rhodia*, quæ Provincie *Joniae* Urbs nobilissima, decantato inter Mundi Miracula *Solis Colosso*, ingenti, & musico, inclaruit. Aequum non erat, dum de Apolline, ac Sole prolixius egimus, me nullam hujus tanti in Orbe prodigii memoriam tibi refricare. PUBL. Legi de hoc stupendo *Charis* opere æreo tantæ molis, ut altitudine LXX. Cubitos exleret, solusque dextræ pollex tanta esset crassitudine, quam Vir ambobus brachiis ægre complecteretur, ac comprehenderet. Intra pedes tam immanis hujus Apollineæ statuæ integra triremis expansis carbasis transire poterat: si tamen Historia nihil in his contra fidem tradiderit. Steterat hic Colossus non diutius, quam sex & quinquaginta annis, terræ deinde motu contractus.

DIALOGUS XXII.

De Numis Neptuni, & Martis.

TULLIUS.

Ingens Deorum, quæ superest, multitudo coegit me, tam pingendo Numos, quam de iisdem tecum disserendo, longe strictiorem esse, quam hactenus in *Jove*, & *Apolline* fueram. *Neptunum* aggrediamur. Is juxta fabulas, dum alii sic, alii aliter mentiuntur, varias geneses, Urbes natales, Uxores, Prolesque habebat. Sola hæc communis assertio, eum, ejecto *Saturno* patre, de Regnis ejus cum Fratribus, *Jove*, ac *Platone*, tentasse sortem, quæ Marium Rectorem, ac Dominum, ipsum pronuntiaverit. Inde apud *Virgilium*, cum fastu denunciari *Asolo* curavit:

R

Re-